



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An Episcopus possit Ecclesiam, vel beneficium patronatum, donate
vel unire alteri Ecclesiæ, vel beneficio, & an Episcopo donari possit à
Patronis jus patronatûs in Ecclesiis alienæ, vel ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

aliquid, etiam si declaratus taliter in iudicio, post legitime ex juris concessione factam institutionem, nolit eum presentare. Quod si tamen lis sit, sive controversia inter Episcopum, & qui Patronum se asserit, contendente Episcopo Ecclesiam liberam esse, altero vero pretendente, eam patronatam esse, & quidem sui patronatus, debet Episcopus œconomum, vel administratorem in tali Ecclesia constituere, dum lis expediatur, ne aut Ecclesia, aut alteri fiat præjudicium.

SECTIO V.

De potestate Episcopi & Summi Pontificis circa Ecclesias & beneficia patronata, & de amissione juris patronatus.

§. I.

An, si Episcopus instituat, sine consensu, vel presentatione patronati, valida sit institutio, & an possit fieri presentatio ad Ecclesiam non vacantem?

Institutio ab Episcopo in Ecclesia patronata sine presentatione patroni facta, ordinariè nulla est. *Illud 8. & c. ex insinuatione 14. h. t.* si tamen contra illam Patronus infra tempus ad presentandum concessam reclamet, ita ut nec tacite (præsens v. g. ordinationi, seu institutioni tali, & nihil contradicens, cum tamen possit) consentiat, vel tempus ad presentandum præfixum elabi patiat, nullo per negligentiam presentato, quo in casu devolutioni locus est.

Nunquam tamen vocatio ad Ecclesiam non vacantem est valida (ita ut si postmodum, cum ea vacaverit, & intra tempus à nota vacatione præscriptum, nullus à Patrono presentatus fuerit, possit liberè Episcopus eam conferre) & promissio à Patrono, de presentatione faciendâ, cum vacaverit Ecclesia, nullam inducit obligationem, cum etiam talis promissio nulla sit, & irrita arguitur. *2. & 3. de concess. preben. & c. 2. eodem in 6. quia periculum captandæ alienæ mortis occasionem præbet, prout supra jam dictum.*

§. II.

An Episcopus possit Ecclesiam, vel beneficium patronatum, donare, vel unire alteri Ecclesie, vel beneficio, & an Episcopo donari possit à Patronis jus patronatus in Ecclesiis aliena, vel propria Diœcesi?

Non posse Episcopum Ecclesiam, vel beneficium patronatum alteri Ecclesie, aut beneficio concedere, vel unire sine consensu patroni, sive laici hic sit sive Ecclesiasticus, ex præjudicio, quod fieret per talem unionem patronis, suum jus patronatus amittentibus, patet. Sicuti autem concessio Ecclesie per modum incorporationis à patrono facta, per subsequentem Episcopi consensum ratificari potest, ut ex eo tempore fiat valida, prout sumitur ex *c. suggestum 20. iunct. Gloss. verbo subsecutus. h. t.* ita valida etiam est concessio beneficii, vel Ecclesie patronatæ ab Episcopo facta, si consensus patroni ex postfacto accedat, quia patroni consensus

senfus in hoc casu tantum accidentaliter requiritur.

Episcopis autem, ratione suae dignitatis Episcopalis, donari potest jus patronatus, quod habent patroni in Ecclesijs, sive in aliena diocesi sit illa, sive in propria diocesi, ita ut ab Episcopo diocesis, vel ab illo, cui institutio specialiter iure convenit, institui debeat in Ecclesia tali, qui ab Episcopo, cui jus patronatus donatum v. g. fuit, praesentatus fuit, vel si in sua diocesi sit, beneficium tale, vel talis Ecclesia, & ad hunc ipsum Episcopum institutio pertineat, confundetur cum institutione collatio, ita ut talem Ecclesiam liberè conferre possit Episcopus, cui voluerit, absque alia praesentatione, ut sumitur ex *c. significasti 18. h. t.* nisi compatronum in ordine ad talem Ecclesiam habeat Episcopus, cuius praesentatio expectari debet.

§. III

An Episcopus praesentatum à Patrone ad titulum suae Ecclesiae ordinandum, irrequisito patrono, admittere possit, ac debeat.

Resp. posse & debere taliter ad ordines à Rectore patronatae Ecclesiae, nihil consentiente Patrono, praesentatum, admittere & ordinare Episcopum, ita tamen, ut nullum exinde fiat patrono praesudicium, sed possit hic, ubi Ecclesia patronata vacaverit, quemcumque alium praesentare, sed soli rectori patronatae Ecclesiae incumbat, sustentationis media ex suo beneficio subministrare ad ordines praesentato, donec de

beneficio provisorio huic fuerit, in omnia colliguntur ex *c. postulat* in *l. c.* sicut tamen taliter praesentatus Clericus Ecclesiae illi servire debet, à quo sustentationis media accipit, dum vivit Rector, qui eum praesentavit, ita post mortem huius Rectoris, nec ad ulteriorem sustentationem praesentari tenetur benefactor, nec ulterius ad servitium illi Ecclesiae praestanda tenetur taliter ordinatus, hinc Episcopus diligenter attendere debet, utrum beneficium, ad quod ordinatur, tam pingue sit, ut duobus incrementa praestare possit, & unde post mortem huius Rectoris alimonia sit habiturus, qui ad talem praesentationem fuit ordinatus.

§. IV.

Qualem praeterea possessionem habeat Episcopus, vel non habeat, in Ecclesijs, & beneficijs patronata?

Episcopi praesentatos à patrono debent prius in Ecclesia tali colligere, nisi prius, intra tempus ab Episcopo praefigendum, congrua sustentatione, major, vel minor pro diversitate locorum onerum) fuerit praesentato, cum ipsis Episcopis, assignata, de rebus talis Ecclesiae, ita, ut si praesentationem assignare intra praefixum tempus non poterint, praesentationem admittere debent Episcopi, & ad ipsos devolvatur praesentationis taliter instituto assignandae libertas, in poenam scilicet negligentiae, praesentationis huius iure privata, prout sumitur ex *Clement. 1. h. t.* quod si tamen principalis patronus Ecclesiae